



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Felicitas M. 10. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

## S. FELICITAS M. 10. Iulii.

**F**ELICITATEM in manib⁹ habes, matronam  
in quā unā omnēm Spartam Roma extinguit.  
Stat ecce ad tribunal plena animis, &c, qui matrem  
coronat, globum filiorum in tyrannum agit. Ne, ne  
oculos in tyrannum filii, aut quas hic minatur pœnas,  
sed cælum, sed quæ cælum promittit gaudia, defigite. Ite,  
ostendite etiam suos Romanis Machabæos esse, implete  
nominis mei omen; facite ut sim, qua dico, Felicitas.  
Septem estis, si pueri, certè numero tyranno superiores.  
Sed & mater adero, pugnabo in singulis, in omnibus  
triumphabo. Votum pugne hoc est, ut nostrum ex acie  
vivus nemo discedat. Talia mater filiis: at matri ty-  
rannus colaphos ingerebat. Mox JANVARIVS vir-  
gis cæsus ridet puerile tormentum. Negant FELIX  
& cum PHILIPPO SILANVS sive à fratribus sive à  
Christo avelli posse. Jam ALEXANDER cliente-  
lam Imperatoriam offerenti Christi se Libertum  
respondet. VITALIS porro edicere Judicem juber-  
dæmonine malo an D̄EO Opt. serviendum? Deni-  
que rectissimè MARTIALIS cassis minis serias Orci  
pœnas opponit. Has itaque inter pugnas, plum-  
batis, fustuario, præcipitio ferroque omnis fra-  
terna acies cadit. Et potuit in septem Germanis  
trecentos Fabios spectare Roma. FELICITAS  
certè spectavit, & oculis suis tot sibi oculos erui  
videre sustinuit, dum ultima à ferro est mor-  
tua. Si tamen mori jam potuit septies mortua.  
*Ex Surio.*

*Quid tempore judicii facturi sumus, quando contra  
Crucifixi Domini livores nota peccatorum nostrorum, &  
macula libidinum proferentur? quo vultu respiciet re-  
demptio nostra perditionem nostram? tanto graviora  
erunt*

II.Iulii. VITÆ S A N C T O R V M . 343  
erunt nostra delicta, quanto majora se ostenderint divi-  
na beneficia. S.Cæsar.hom. 23.

## S. GOLINDUCHA M. II.Iulii.

**P**Arcius multi cœnarent, si cum GOLINDVCHA nobili apud Persas matronâ. Epulo assidebat illa, cum ecce tibi, dum alii gulam, ipsa Superis invitantibus oculos suos pascit. Tollit hos Cælo, & quæ Cælites convivia actitent, spectat ; poni ambrosiam, misceri nectar videt invidetque. Inde ad inferos demittit, & esurire micam, fitire guttam epulones, interque hos, pro dolor ! etiam parentes suos advertit. Ipsa scilicet ad Christum Christique fidem se vertit. Succensuit conjunx , sociamque thori ad Saporem Regem fide minimè maritali defert. Hic octo ippos annos in carcerem ; cum quatuor menses in antrum compingit à drâcone infessum. Cum hoc etiam monstrum virtus domuisset, in infamem cellam abducitur; sed hinc à Tutelari Angelo educitur. Inde ad supplicium rapitur; sed ab hoc iterum eripitur. quod tamen nimium quantum sanguinem pro Christo gestaret fundere, vulnus in jugulo, sed ab hujus crux medicinam omnis id loci æger accipit. Hoc porro monili superba GOLINDVCHA cum locos à viris sanctis nobilitatos permultos adiisset, cælo tandem se intulit, & inde ad Saliates epulas suas etiam oculos Marianorum invitat. Ex Menais & Theophylacto.

Quid tam pavendum, quid tam plenum anxietatis,  
& vehementissimæ solitudinis excogitari potest, quam  
judicandum astare illi tam terrifico tribunal, & incer-  
tam adhuc expectare sub tam disticto judice senten-  
tiam? S.Bern.serm.8.super B qui habitant.